

Traditiones Wizenburgenses (Ed. Glöckner) Nr. 137

Si aliquid de rebus nostris locis sanctorum vel in substantia pauperum conferimus, hoc nobis procul dubio in eterna beatitudine retribuere confidimus. Igitur nos in dei nomine Dudo et Himicho cogitantes pro remedium anime nostre vel pro eterna retributione, idcirco tradimus ad monasterium Wizenburg quod est constructum in honore sancti Petri vel ceterorum sanctorum, ubi vir venerabilis David episcopus preesse videtur. Hoc est quod donamus in pago Alisacinse in villa quod dicitur Chucenhusa omnes portiones nostras, quicquid in ipsa villa habere visi fuimus, tam de alode parente, vel de paterno aut de materno, vel de qua cumqvelibet adtracto, tam domibus edificiis pratis pascuis silvis mancipiis. Similiter donamus in Lonenuacho quicquid in ipsa villa habere visi fuimus, tam de alode parente vel de qualibet adtracto possidere viderimus, totum et ad integrum ad prephata monasterio Wizenburg volumus esse donatum, ea videlicet ratione, usque dum aduixerimus sub usu fructuario excolere debeamus, post nostrum quoque discessum a presente die ibidem donamus, habeant teneant atque possideant et suis abbatibus ibidem deservientibus proficiat in augmentum. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, et cetera, sed presens epistola firma et stabilis permaneat, stipulatione subnixa. Acta publice in monasterio Wizenburg sub die XI kalendas aprilis anno V regni domni nostri Pipini gloriosissimi regis. Signum Dudone et Himichone. signum Drogone. Ego Theotgarius scripsi et subscripsi.